

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Lorenz Bodock Andreas Hoierus

## **Disputatio Ethica De Virtutibus Moralibus In Genere**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729604373>

Druck Freier  Zugang



L. Brodtk. Reg. Min. Klein  
P. U. phys. 1642.



10:

DISPUTATIO ETHICA  
VIRTUTIBUS MO-  
RALIBUS IN GENERE,  
<sup>De</sup> 73.

QVAM,  
ALTISSIMO CLEMENTER  
MODERANTE,

In illustri Rosarum UNIVERSI-  
TATE,

Publico συμφιλοφρέντων examini subiicit,

PRÆSIDE

VIRO Clarissimo & Excellentissimo

DN. LAURENTIO A BODOCK,  
Phil: & opt. art. Mag: Eloquentiæq; Profes-  
sore Ordinario,

ANDREAS HOIERUS,  
CIMBER.

In Auditorio majori die 2. April.

Horis ab octava matutinis.



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. XLII.

GENERO SO ET ISTRU NUO VIRO,  
DN. WU L F BLUMEN

Illustrissimi Holsatorum Principis

Consiliario primario, Praefecturæ Tunderensis Administratori, Hæreditario  
in Tesdorff & Schdorff.

Reverendo admodum, Clarissimo & Excellentissimo  
VIRO,

DN. GEORGIO CALIXTO,

S S. THEOLOGIAE D. ejusdemq; in Acad. Jul.  
Profess. P. Cœnobij RegioLothariensis  
Abbati, Hospiti olim plurimùm  
venerando.

Reverendis, Præstantissimis & Eruditissimis Viris;

DN. BERNHARDO MAURITIO:

DN. TYCHONI HOIERO;

Illi Ecclesiæ Tunderensis Pastori, vicinarumq;  
Præposito. Huic Bukarkiensis Pastori.

Mæcenatibus, Promotoribus, Fautoribus,  
Parenti, et atem colendis


In perpetuum ac luculentissimum observantia,  
honoris, gratitudinis monumentum, publicas  
has studiorum primitias

Offeret

dicat

consecrat

ANDREAS HOIERUS, Cimb.  
Ant. & Res;



*Irtutis moralis excellentia eō sublimatis devenit, ut humanam accessionem mortalemq; laudem superaverit. Et enim ut est apud Plautum in Amphit:*

Virtus præmium est optimum,

Virtus omnibus rebus anteit profectō,

Libertas, Salus, vita, res, parentes,

Patria & prognati tutantur, servantur:

Virtus omnia in se habet.

*Et prater omnia præclaram & nunquam intermorituram gloriā obtinet (Μόνη ἀρετὴ αἰδίουν καὶ ἀθανάτον καὶ εὐχεις) ut qua nec vetustati cedat, nec obliuione conteratur, nec marcescat: Verum recentem semper ac vegetam florentemq; dignitatem habeat. Sic pulcherrimè & ipsa ad Scipionem apud Silium italicum Lib 15, v. 97.*

Mecum honor & laudes, & lato gloria vultu,

Et decus, & niveis victoria concolor alis:

Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.

*Cujus tam eximiam illustremq; indolem omni laude humana sublimiorem horrore sacri silentij oblignare consultius esset, quam illam mediocritate ac culpâ ingenij deterrere, nisi mentem agram ex metu solaretur ac reficeret, quod in arduis etiam rebus ipse conatus, quanquam voluntati non respondens, laudem lucretur. Hujus excitati stimulus religiosè virtutis moralis genium scrutari contendimus, Quod ut eō felicius ac facilius exequamur, à definitione ejus sumemus initium, & sic ad cetera, ē quibus eō melius tota virtutis moralis natura & essentia agnosci potest, descendemus.*

THESES I.

Xistentiam virtutis moralis ante definitionem superficietenus præmittimus; cumq; eam nemo neget, si plurimos omni conatu virtutem excoletes certat: Essentiam ejus solam accuratius investigare tenemur, quam quia definitio explicat ac declarat, de illa jam sollicitos nos esse oportet.

II. Varias autem definitiones à diversis traditas virtutis nempe moralis videre licet. Aliqui enim per Potentiam sive facultatem sūn̄ φυσικήν, i.e. naturalem, saltem ἐμπορεύην sive adventitiam agendi recta & honesta indigitant. Et sic Timplerus lib. I. Eth. gen. c. i. existimat. Scultetus lib. Eth. cap. 3. virtutem per constans propositum vivendi secundun legem definit. Socrates per scientiam virtutem moralē circumscribit. De quo lib. 6. Eth. cap. ult: sic Aristoteles: Σωκράτης λέγει τὰς ἀρετὰς ὡς εἴρηται ἐμπόρευης γόνος εἰραγμάτων. Eadem per prudentiam quoq; connotat, affirmante Arist. eodem lib. 6. Eth. cap. ultimo & inquente Σωκράτης φερόμενος ὡς εἴραγμάτων τὰς ἀρετάς.

III. Verūm has omnes definitiones, ut & alias plurimas non re-ctē naturam & essentiam virtutis apprehendentes rejicimus.

IV. Et quidem primo per potentiam, seu facultatem sive naturalem sive adventitiam aut acquisitam, ut per genus definiri posse negamus. Sic etenim inferimus: Si nullam facultatis mentionem habes in prædicamentis è quibus rerum genera depromuntur, verūm solum potentiae & impotentiae naturalis, non rectē genus hoc virtuti attribues. Atqui res ita se habet. E. Si dices haberi rem, voce hac denotatam **habitum** videlicet, qui sit potentia acquisita: Inquiero ex te, cur vocem **habitus** non usurpas? Et κακοφωνία solerter cavendam ob pavorem confusionis, amplectaris? Ut ut enim largiamur habitum in ratione ad actum ex eo resultantem dici posse potentiam, repugnat nihilominus communi loquendi usui habitum in prædicamento qualitatis potentiae contradistinguenti & per hanc naturalem tantum intelligenti.

V. Nec secunda definitio virtutis per constans propositum ut genus statuminata nobis arridet: Genus enim non extrinsecum quid sed

**Sed intrinsecum esse debet, & de formali ratione virtutis, quæ gene-  
re & differentia absolvitur.** Hoc autem sibi *constans propositum*  
vindicare nequit, quod satius causæ efficientis rationē obtinet, in-  
trinsecam virtutis quidditatem minimè exprimentem. Deinde in  
summam sese hoc genus latitudinem extenderet, plurimis applica-  
re tur, cum & in artificibus ratione artis *constans esse propositum*  
actiones juxta artis leges eliciendi, patet, ut alias res perplures  
fileam, in quibus tale propositum inveniri ijsq; accommodari po-  
test.

**VI.** Tertia quoq; per *scientiam* ut genus structa non sapit: cum  
scientia sit qualitas perficiens ac informans intellectum, non autem  
voluntatem ac appetitum, quod soli electivo habitui virtutiniimi-  
tum competit. Rationes plures in certamine publico audies.

**VII.** Sed nec illa, quæ per *Prudentiam* fabricata est, nobis pla-  
cket, cum prudentia sit virtus intellectus, virrus autem moralis vo-  
luntatis. Et cum prudentia sit *dirigens* quid respectu virtutum:  
virtutes autem *directum* quid respectu prudentiæ. Quæ autem ut  
*dirigens* & *directum* discriminantur, eorum unum quomodo aliud  
esse potest?

**VIII.** Quocirca seclusis hisce & alijs ipsis similibus definitioni-  
bus nos depromptam ex 2. Eth. Nic. c. 6. virtuti morali tribuimus,  
quæ talis est. *Virtus est habitus electivus, in mediocritate consistens,*  
*cā, quæ ad nos est, definita ratione, & ut vir prudens determina-*  
*verit.*

**IX.** Clariorem hanc definitionem habebimus, si illam accura-  
tius resolverimus, solertijsq; in virtutis causas inquisiverimus. Et  
quidem statim obviant illa nobis (ut & in omniā definitione  
evenit) *Definitum* ac *Definitio* pressè sumpta. Et quidem quod  
definitum virtutem nempe concernit, Germanis illa dicitur *Eli-  
gend à Taugen* quod est valere, quod illa sit valor & perfectio ani-  
mi *juxta Aristotel.* Phys. t. 18. Latini virtutem à viro dictam autu-  
mant; quod nempe eam constantiam ingeneret, quæ virum maxi-  
mè decet. Durandus à vi virtutem torquet, quasi verò vis aut violen-  
tia virtuti inesset. Alij à vigore & à virendo. Alij hoc vocabulum  
*ἀρετὴ ἀπὸ τῆς Ἄρεως* à Marte, quasi primò bellicam virtutē hæc vox

connotaret. Alij ab ἀργέω eligo, tum quod virtus ipsa maximè sit sit ἀργεῖ sive eligenda, ratione aliorum; tum quod ratione sui habitus sit περιφερός, quemadmodum ejus definitio arguit. Quidam verò ab ἀργοτάχοι derivant, quod omnium gratiam ac complacentiam aucepunt.

X. Vocem virtutis non sumimus hic pro quacunq; perfectione conferente ad morale bonum hominis, quo pacto prudentia etiam dici posset virtus moralis, plurimùm conferens, ut homo sui boni moralis compos fiat, bonisq; ac liberalibus moribus imbuatur.

XI. Neq; etiam eandem vocem, ut Deo & creaturis tribuitur, utriusq; perfectionem tum essentialē tum effectivam designantem, sumimus. Ad extreūm vocem hanc non ut infusos habitus, quales sunt virtutes theologicæ: Nec ut acquisitos intellectuales designat, ut sunt, intelligentia, scientia, ars, prudentia, sapientia; Verū ut morales in voluntate residentes, eamq; ad actiones moraliter bonas inclinantes, connotat, accipimus: Ut justitia, magnanimitas, alijq; habitus de quibus infra.

XII. Sequitur jam definitionis resolutio, in quā ponitur primo *habitus*, quia virtus (latè etiam sumpto ejus nomine) est dispositio perfecti, ut docuit Aristot. 7. Phys. c. 13. t. 17. Habitū verò perfectè disponimur ad operandū, tum quoad uniformitatem actionum, tum quoad actionis promptitudinem, tum deniq; quoad actionem cum voluptate perficiendam. Hic rejicimus potentias, affectus, dispositionem, ceteraq; id genus, quæ habitus, ut patet, non sunt.

XIII. Ponitur adhuc in definitione *proæreticus* sive electivus voluntatis, non dianoeticus & intellectualis; Eligere enim non intellectum, sed voluntatem ad præcedaneum intellectus consilium ex pluribus aliquod eligentem, concernit. Hic excludimus habitus intellectuales, ad quorum rationem non spectat, ut actus ex illis profecti ex delectu & voluntariè fiant.

XIV. Additur in mediocritate consistens, ut à vitiosis habitibus in extreñis sive per excessum sive per defectum manentibus, discriminetur.

XV. Adjicitur quoad nos definita ratione, ut intelligamus mediocritatem virtutis non oportere esse ex natura rei, nisi fortè per acci-

accidens: sed respectu subjecti & ex arbitrio viri prudentis, quā de te mox accuratius

XVI. Apponitur deniq; prout vir prudens determinaverit, ut concatenatio omnium virtutum moralium cum prudentiā arctissima dignoscatur, nullamq; planè esse virtutem moralem intelligatur, quæ conformitatem regularum à prudentia præscriptarum respuat. Quā de re in progressu plura...

XVII. *Definiti ac definitionū resolutione peractā*, jam ad accusatiōrem judicij lancē causas virtutis examinare placet, ē quibus differentiæ rei sumuntur. Hæ autem sunt, efficiens, materialis, formalis, & finalis. Quod concernit efficientem virtutis causam, hanc universalem & mediatam, remotam, Deum opt. Max. affirmanus, à quo velut primo summoq; bono omnia ducunt originem, à cuius benignitate dispositionem & impulsū ad virtutem, proximasq; virtutum causas habemus. Hoc & ipse Bias cum pluribus alijs, Ethnici licet, agnovit, dicens; *Cum boni quid fecerū, non tibi, sed Deo id adscrībe.* Hoc Seneca, scribens bonum verum à Deo esse & nullam sine Deo mentem bonam esse. Idem & Plato in Menone, *τείχη μόνηα* divino quodam fato obvenire homini virtutem pronuncians.

XVIII. Naturam eo sensu causam efficientem virtutis moralis non affirmamus, quasi virtus moralis ita à natura sit, ut ipsa perfecte homini connascatur. Quæ enim à naturā insunt, affuetudine non comparantur, nec per eam mutantur. Virtutem autem affuetatione acquiri ac mutari manifestissimum est. Cæteræ rationes in conflictu patebunt. Instinctum nihilominus & igniculos quosdam in naturā & à naturā dari ad virtutem concedimus, quæ tamen, cum causæ remotæ tantum virtutis moralis sint, absolvere ejus essentiam non possunt, nisi reliquæ causæ proximæ ponantur.

XIX. Rectam disciplinam ac doctrinam non totalem & proximam, sed partialem ac mediatam causam esse virtutis nostræ volvimus. Ratio enim nobis suffragatur hæc præter alias: Illud doctrinā indiget, quod absq; notitia honesti & turpis non acquiritur. At virtus est talis. Ergo. Præter autem hanc rationem unanimis seniorum consensus ad virtutis habitum non solum naturam & exercita.

ercitationem, sed & doctrinam requiri ostendit. Prodeat ē multis  
Seneca sapientissimus Epist. 90. ita scribens: *Virtus non contingit  
animo nisi instituto & docto, & ad summum assidua exercitatione per-  
ducta, ad hoc quidem sed sine hoc nascimur, & in optimo quoque ante  
quam eruditat virtutis materia non virtus est.*

XX. Quid jam de intellectu practico prudentiā informato sen-  
tiendum nobis est? illum quoq; ad efficiendam virtutem partiali-  
ter ac mediatē concurrere asserimus, tum quod rectam rationem  
dirigat, tum quod habitus electivus secundum rectam rationem,  
qualis est virtus moralis, ad sui productionem illud, quod rectam  
rationem monstrat, requirat: intellectus vero practicus prudentiā  
informatus hoc ipsum præstet.

XXI. Assuefactionem v. & exercitationem (quatenus crebra ho-  
nestarum actionum iteratio per eam intelligitur) principalem,  
proximam & immediatam virtutis moralis causam statuimus: Po-  
sitis enim reliquis causis efficientibus virtutis, & non positiā exerci-  
tatione sive actibus frequentatis non statim ponitur virtus; Posita  
verò exercitatione ponitur. Unde luce illustrius apparet exercita-  
tionem & actus frequentatos principalem & proximam virtutis  
esse causam, quamquam fieri posse non negamus, ut ex aliquo  
validis actibus exsurgat habitus validitate crebritatem compen-  
sante.

XXII. Causa jam materialis virtutis exploranda venit. Indolet  
virtutis, ut & aliorum accidentium, materiam propriè dictam non  
possidet, ejusq; loco materiam in qua vel subjectum aut materiam  
circum quam, aut objectum arripit. Subjectum virtutum omnium  
moralium voluntatem, in illaq; principaliter virtutem residere cum  
subtilissimo Scoto. 3. sent. dist. 33. quæst. 1. asseveramus. Illudq; primò  
quoad fortitudinem & temperantiam de quibus inter Thomam &  
Scotum maximè controvertitur, ita probamus. In eo fortitudo &  
temperantia constituuntur, quod difficultatem circa fortitudinis &  
temperantiae materiam patitur, cū habitus ad vincendas difficultates  
concedatur. Sed voluntas difficultatem circa materiam fortitudinis  
& temperantiae patitur. E. Secundò quoad generatim quamcunq;  
virtus

**virtutem sic colligimus.** In eo reponendae sunt virtutes morales ad quod pertinet electio. Virtus enim moralis ab Aristotele 2. Eth. Nic. c. 6. definitur, habitus electivus i. e. sedem habens in proprio electivo. Atqui Electio ad solam virtutem pertinet. E. Objectionibus nostram sententiam infringere conantibus in discursu publico respondere conabimur.

**XIII.** Objectum circa quod virtutes versantur, sunt affectus, motus scilicet illi animæ sensitivæ ex affectu provenientes, per objectum aliquod externum excitati, quos vel voluptas vel dolor comitatur, qui secundum diversas appetitus sensitivi facultates distinguuntur, ita ut alij sint concupiscentis facultatis v. g. Amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, tristitia; alij irascientis, v. g. Spes, desperatio, audacia, timor, & ira. Hiaffectus, quia quæ tales, motus sunt nec boni nec mali, sed indifferentes ad utrumq; Ideo virtus moralis illis destinatur, ut indifferentiam eorum ad bonum restringat, eos regat, moderetur, rectæ rationi conformet, ac honestos efficiat, ne depravationem quandam admittant.

**XIV.** Hic non immerito querimus, quomodo virtutes morales circa affectus versentur. Litem hic satis acrem Stoici Peripateticis movent: Stoici omnes affectus per se malos & per virtutem evelli ac eradicari eos judicant, cum malum in bonum converti non possit: Peripatetici v. affectus in luâ essentia spectantes ut motus appetitus sensitivi, non verò quatenus vitiosi sunt, & rationis imperium detrectant, per virtutes non eradicari eos, sed ad mediocritatem redigi, honestati conformes reddi, in actum deniq; ita deduci sentiunt, ut bonitate morali semper exornentur, & in honestate firmiter persistant.

**XV.** Quorum nos sententiae accedentes sic inferimus: Quod à naturâ inditum est, & per naturam inest homini, evelli non potest, nec debet. At affectus sunt tales, ut Arist. 2. de Anim. c. 3. E. Deinde quo posito negatur materia virtutum moralium, illud non est concedendum: At posito affectus evellendose, negatur materia virtutum moralium E.

**XVI.** Ad formalem jam rationem virtutis accessum facimus

B

& utrum

& utrum essentialiter virtus moralis in mediocritate consistat, inquirimus. Et primò justitiam in nullo medio quoad essentiam consistere, seu, quod idem est, non esse medium inter duas extremitates, asseveramus. Unicam enim injustitiam esse justitiae oppositam, nec aliter contra justitiam delinqui, quam per defectum censemus. Et sic justitiam non habere duas extremitates inter quas consistat, concludimus, quia ex Arist. 2. Ethicor. Nic. c. 8. cum ambabus illis deberet oppositionem habere.

XXVII. Virtutem moralem non consistere in medio rei, seu arithmeticō defendimus, quia virtus moralis non distat aequaliter ab extremis, quod de ratione est medij arithmeticici, cum testimonio Arist. 2. Eth. c. 8. magis ad unam extremitatem accedat virtus, quam ad aliam: v. g. fortitudo ad audaciam magis inclinat, quam ad timiditatem.

XXVIII. Virtutem quamlibet moralem demptā justitia consistere in medio Geometrico, & quoad nos, sive rationis, propugnamus. Constat id ex definitione virtutis moralis tradita ab Aristotele 2. Eth. Nic. c. 6. Et a nobis supra expositā, deduciturq; sic ex superioribus: Virtus moralis consistit in medio inter duas extremitates vitiosas. At non in medio arithmeticō. E. in geometrico; quia nullum aliud est medium propriè loquendo ab arithmeticō & geometrico.. Patet idipsum inductione; fortitudo namque est inter vitium timiditatis & audacię: Liberalitas inter avaritiam & prodigalitatem: similiter se res habet in ceteris.

XXIX. Mediocritatem hanc in quā virtus consistit, inveniendi ac obtinendi hæcce præcepta Aristoteles 2. Eth. c. ult. tradit 1. Ab extremo quod medio magis opponitur, magis recedendum & ad alterum quod ei propinquius est magis declinandum 2. Ad que virtus natura magis ferimur, ab ijs magis recedendum adq; contrarium contendendum 3. In omnibus rebus actionibusq; a voluptate & jucunditate maximè cendum quā dimissā ac valere jussā minus peccabimus.

XXX. Hic non inutiliter quæstiunculam illam movemus, an medium extremis, an verò hæc sibi invicem fortius opponantur. Prius aliqui sentiunt his rationibus ducti 1. quod utrumq; extremitum vitium sit, medium verò virtus; Vitium autem non tam vi-

tio

tio opponitur quam virtuti, perinde ut malum non tam malo quā bono contrariatur 2. quod medium perficiat naturam, utrumq; extremum destruat. Ergo magis medio extremum quā extrema sibi invicem opponuntur, quæ enim simul naturam destruant, eadem ratione finis convenient, cum à fine plurimæ cæq; propriæ rerum sumantur differentiæ.

XXXI. Nihilominus nos distinguendum putamus inter *contrarietatem absolutam*; quā virtus consideratur ut res bona & perficiens, vitium autem ut mala & destruens, quo pacto magis discrepare virtutem ab extremis quā extrema à se invicem affirmamus; & inter *comparatam*, quæ confert similitudinem & dissimilitudinem utriusq; inter se, & sic majorem inveniri arbitramur similitudinem mediū cum extremis, quā extermorum inter se.

XXXII. Causa finalis virtutis moralis agmen causarum claudie, quocirca finem virtutis ultimum beatitudinem & ejus consecutionem; intermedium autem rectificationem vita humanæ, actuum & affectuum hominis dicimus; ideo enim virtutis habitum possidemus, èq; illo agimus, ut rectitudo in hæc introducatur.

XXXIII. Tantum de virtutis moralis definitione ejusq; resolutione. Succedit ejus divisio inter plures valde controversa: Zeno etenim Menedemus, Aristo, alijq; Stoici, ut habet Plutarchus, lib. de virtute morali, unam tantum virtutem agnoverant, quam prudentialm ut plurimum vocârant, hancq; postea varijs appellationibus designârant, prout varijs objectis applicatur & varias actiones producit. e. g. Unus idemq; habitus animi, quando mediocritatem servat, circa metum & fiduciam appellatur fortitudo, circa voluptates corporis temperantia, circa iram mansuetudo, circa pecuniarum tractationem liberalitas, circa contractus justitia, & sic de ceteris. Nec ab hac opinione alienum Platonem legimus qui in Protagor: diversas virtutes, diversa solūm ejusdem rei a nomina esse, nec nominibus istis propriam quandam essentiam respondere tenet.

XXXIV. Nos interim virtutes morales tum à prudentia, tum à se invicem revera distinctas esse statuimus. Et illud quidem supra evicimus, quando prudentiam quidditativum conceptum virtutis moralis non ingredi ostendimus. Non negamus quidem virtutum

unam directricem esse prudentiam, sed directricem cum ijs virtutibus, quas dirigit, unam & eandem esse pernegamus, & quidem fulti vel hâc unicâ ratione; quod dato objecto specie distinctio interno & externo virtutum moralium, detur & inter ipsas virtutes non nominalis solum sed & realis specificaq; diversitas. Sed datur objectum reipsâ specieq; distinctum tum internum tum externum virtutum moralium: Internum quidem quia circa diversos affectus moderandos occupantur: Externum verò quia dantur diverse res illæ, *circa quas affectus occupati sedandi sunt*. De quibus rebus quævis virtus specialem particulam abscondit v. g. fortitudo; pecuniam liberalitas &c. Ergo non est quod dicas objectum habere rationem materiae & ideo adhuc manere, virtutes solum per materiam in qua versantur distingui: quandoquidem cum virutes objectis distingui dicimus hoc ipsum innuimus, unquamq; peculiarem moderationem esse alicujus perturbationis, cuius perturbationis moderatio non est altera. Ubi quivis cernit peculiarem formam specificam connotari, adeoq; formalem rationem diversam unicuiq; virtuti ab altera constare. Hoc itaq; remanet, non aliter objectis virtutes morales distingui atq; intellectuales, inclusa videlicet speciali formâ.

XXXV. Dari distinctionem virtutum, ex quâ divisio earum sumi possit, conspeximus; quomodo autem divisionem earum instituamus, solerter perpendamus. Alijs alias virtutum divisiones affere placet, nos tamen virtutes morales perfectas agnoscimus cum Aristotele sequentes. *Fortitudinem, Temperantiam, Liberalitatem, Magnificentiam Magnanimitatem, Modestiam, Mansuetudinem, Affabilitatem, Urbanitatem, Veracitatem, Justitiam*. Quibus addi possunt, perfectissima virtus non tamen specie differens à communii, *Heroica nempe, & imperfectæ vel semivirtutes Continentia ac Tolerantia, tandemq; Amicitia*, quippe quæ vel virtus quædam, vel quod verius est, cum virtute est, teste Aristotele 8. Eth. c. 1. Et sic apparatus, mediorum vel quasi mediorum ad felicitatem practicam ducentium, absolvimus.

XXXVI. Quæ verò undenarij istius virtutum moralium numeri sit ratio, quomodoq; sufficientia ejus probari possit, diversa à pluribus

bus traduntur quæ nos brevitatis studio dimittimus, cum exiguum utilitatem concilient; Pro afferendo verò Aristotelico virtutum numero sic argumentamur: Quicunq; numerus nec superfluitatis nec insufficientiæ arguitur ille est legitimus. Atqui numerus virtutum moralium ab Aristotele traditus est talis. Ergo. Probo minorem; Superfluitatis insimulari non potest, omnes enim recensitæ ab Aristotele virtutes & morales sunt & distinctione specificâ vel ad eam proximè accedente à se invicem disjunguntur; Insufficientiæ etiam damnari nequit, quia nulla virtus ab his specie distincta, quæ ad morales spectet, studioq; nostro acquiri possit, admittitur. Ergo.

XXXVII. Hic præ alijs illam Timpleri lib 2. Eth. gen. c. 1. 9.  
v. 10. Zapfij in dist. & limit. Phil. pract. Virtutis moralis in pietatem & probitatem divisionem improbamus, si enim Ethica doctrinam solum naturali lumine de moribus cognoscibilem tradens, ignorat modum ritè colendi Deum, isq; naturæ viribus rectè non peragitur, sequitur quod nulla virtus Ethica de eo aliquid expondere possit, at verum prius; quomodo enim Deus rectè colatur naturâ duce cognosci nequit, nedum ut cultus ille rectè peragatur ejus viribus: Ergo & posterius, & per consequens falsa divisio virtutis moralis in pietatem & probitatem quarum illâ legitime Deum colamus & veneremur.

XXXVIII. Neq; illam, quam Plato in Protagora & quidam ex Stoïasticis amplectuntur, quâ virtus moralis in Temperantiam, Justitiam, Prudentiam & Fortitudinem dispescitur, nostram facimus; quia virtutes intellectus cum virtutibus morum confundit, & insufficienter virtutes morales recenset: cum longè plures, ut ex inductione earum antefacta patet, dentur.

XXXIX. Jam de connexione virtutum moralium cum prudentia, & virtutum inter se, ante hujus disputationis finem aliquid disseendum, quæ ut eò melius intelligatur, advertendum est prudentiam nos includere, quamvis ad intellectum spectet, 2. Nos cùm Arist. 7. c. 1. & alijs, virtutem moralem tum in gradu continentiae, tum temperantiae, tum heroico considerare.

XL. In gradu priori sive continentiae virtutem obtineri dicimus,

cum ille tribuit quidem subiecto vim ad difficultatem superandam, quæ in munus obeundum incurrit, sed cum ingenti quadam vehementia. In secundo sive temperantiae, cum ille dat efficacitatem ad vincendas minimo labore difficultates inter obeundum munus proprium intervenientes. In tertio sive heroico, cum virtus totani perfectionem habet, cuius materialiter capax est, supponitq; placidissimum appetitum ac ejus passiones in gyrum rectæ rationis reductas.

XLI. De virtutibus in gradu heroico nullam dubitationem movemus, omnia enim consensu in hoc gradu virtutes morales conexæ sunt, sic ut v. g. Fortitudo absq; aliarum virtutum societate perfectissima esse nequeat. Cum enim omnes virtutes mutuo se se juvent, aliæq; alijs perfectionem adjiciant, Et deniq; cum omnes virtutes in gradu heroico omnimodam excellentiam requirant, absq; ulla anticipi necessariam cohærentiam ac connexionem involvunt.

XLII. Neq; de virtutibus in gradu continentiae disceptamus, posse enim unam absq; alijs inveniri facile constat.

XIII. Quæstio saltem de virtutibus in gradu duntaxat temperantiae, ac iterum insignis notæ Philosophos agitatur. Et tum pro parte negativâ, tum affirmativâ magni momenti argumenta adseruntur. Nobis interim affirmativæ subscribere virtutumq; connexionem tueri placet, vel hisce quibus rationibus ad ipsam pelleatis. Prima sit: Liberalitas in gradu temperantiae, sive quod idem est, in statu perfecto coercet appetitum pecuniae in omni eventu. Sed hoc præstare nequit absq; aliarum virtutum præsidio. E. liberalitas in tali gradu requirit aliarum virtutum nexum. Minorem probamus, si enim alicui v. gratia ex una parte mors; ex alia pecuniâ proponatur, ad inferendam injuriam patriz; nisi illum virtus fortitudinis munierit, ad despiciatui mortem ducendam, & justitiæ, ad non inferendam injuriam, facilime pecuniae cupiditate succumbet. Ergo liberalitas absq; fortitudine & justitia, similiter absq; alijs virtutibus non invenitur. Secunda ratio. Quælibet virtus moralis in gradu temperantiae, ita presupponit prudentiam in eodem

gradu,

gradu, ut absq; illà sic sumptà consistere non possit. Ergo conjuncta ac connexa esse debet, cum alijs virtutibus moralibus, cum quibus prudentia necessariò connectitur, sicut; est cum illis connexa.

## Sed manum de tabula.

### COROLLARIA.

An habitus virtutis moralis sit essentialiter bonus? A.

An Metaphysica, Logica, Mathematica & alij habitus efficiant virum bonum? N.

An aliquando medium dici posse extreum? A.

An justa & justè agere differant? A.

An Temperantiā prolongari possit vita humana? A.



Nescit virtutum naturam, nescit & usum  
Maxima pars hominū, nescia & ipsa sui:  
Namq; ultrò vitium laudat; scelera unde ne-  
fanda

• Splendida Virtutum nomina sæpè gerunt.  
Sanior est HO I E R E, tibi mens, sanior illis,  
Virtus queis vitiū est, qui mala recta putant.  
Virtutum indagas Naturam, quæris & Usum  
Sic age; Virtutum præmia certa feres.

In gratiam D. Respondentis f.

P RÆSES.

**S**ile quamvis amplum sibi Virtus ipsa Theatrum,  
Ipsa sui merces, nullius & indiga laudis:  
Quam non incitant scurra maledicta tagacis,  
In jugulum redicura suum. Tamen illa videri,  
Laudari tamen illa cupit. Calcaria subdunt  
Orchestrae plausus, & ovanti fata favore  
Fubila, letantibus juvant praeconia scena.  
Quam nunc in Roseo Vireus generosa Theatro  
ipsa parae Tibi, Pierios cui dulcis in ocreis  
Scandere cura fuit, gressus monstrante Minervā.  
Hec saltanda Rhodos, hec fabula restat agenda,  
Dulcis Amice, Tibi. Tibi Roscius ille praebit,  
Roscius ille Sophum praeclarus in arte, **BODOCUS**,  
Quintā parte Venus quem nectaris imbuat almi,  
Eborulantibz, trium Charitēia mulsa Sororum.  
Nos, quamvis humili quatimus proscenia socco,  
Comicon, hisce tuis: **NUNC PLAUDITE**, dicimus ausis.

Monimentum hoc amoris, quia voluit;  
honoris, quia debuit;  
Debuit, quia voluit;  
Voluit, quia debuit;  
extruxit

**NICOLAUS WITTE.**







bus traduntur quæ nos brevitatis studio dimit  
utilitatem concilient; Pro asserendo vero Ar  
numero sic argumentamur: Quicunq; numeri  
nec insufficientia arguitur ille est legitimus. A  
tum moralium ab Aristotele traditus est talis:  
rem; Superfluitatis insimulari non potest, o  
ab Aristotele virtutes & morales sunt & distinc  
eam proximè accedente à se invicem disjungu  
etiam damnari nequit, quia nulla virtus ab his  
ad morales spectet, studioq; nostro acquiri  
Ergo.

XXXVII. Hic præ alijs illam Timpleri lib  
v. 10. Zapfij in dist. & limit. Phil. pract. Virtu  
tem & probitatem divisionem improbamus, si  
nam solum naturali lumine de moribus cog  
ignorat modum ritè colendi Deum, isq; natu  
peragitur, sequitur quod nulla virtus Ethica  
nere possit, at verum prius; quomodo enim  
naturā duce cognosci nequit, nedum ut cultu  
eius viribus: Ergo & posterius, & per consequ  
utis moralis in pietatem & probitatem quarum  
colamus & veneremus.

XXXVIII. Neq; illam, quam Plato in Protago  
lasticis amplectuntur, quā virtus moralis in Te  
tiam, Prudentiam & Fortitudinem dispescit  
quia virtutes intellectus cum virtutibus mora  
sufficienter virtutes morales recenset: cum long  
ctione earum antefacta patet, dentur.

XXXIX. Jam de connexione virtutum mora  
lia, & virtutum inter se, ante hujus disputationi  
rendum, quæ ut eò melius intelligatur, advert  
am nos includere, quamvis ad intellectum s  
Arist. 7. c. 1. & alijs, virtutem moralem tum in  
tum temperantia, tum heroico considerare.

XL. In gradu priori sive continentia virtute

B 3

the scale towards document

